

Naples, 22 Août 1601.

/ Illustrissimo, ac Reverendissimo Domino D. Roberto S. R. E.

Card. Bellarmine.

Duo primum fuere, Illustrissime Domine, quae manum meam ex~~ca~~ta-  
runt, ut Seripandi Cardinalis Commentaria in D. Pauli Epistolas ad  
5 Romanos et Galatas proelo traderem.....

Duo item potissimum, ut Nominis Tuo ea inscriberem, effecerunt:  
tum quia Marcelli Cervini Pont. Max. cuius memoria in omnium animis,  
nulla subsecutura oblivione, remansit, ex sorore nepos prodiisti: cui  
cum Seripando non vulgaris intercedebat necessitas: in primis cum hic  
10 Eremitani Ordinis Prior Generalis, ille Protector, Augustinensem Fa-  
miliam ea vigilantia et studio gubernarent, ut gubernando laudabili  
quadam aemulatione concertarent, uter esset altero vel amando ar-  
dentior, vel tutando promptior, vel exercitando exercitacionis atque  
utilior. Qua de re tunc vehementius salutiferam Crucem amplexabatur  
15 mea Religio, cum à Card. Sanctae Crucis protegeretur: tunc erenum  
colebat delectabilius, cum sub hoc Hieronymo, illius Stridonensis  
exemplo, duceret vitam. Ad utrumque erat facile subditorum refugium,  
patens accessus: clarissimi ambo: Patres, ac Pastores ambo: unus in  
utrisque animus, quibus semper erat pietas una, doctrina una, una  
20 morum concordia et comitas; hinc assidua inter eos consuetudo; hinc  
singularis in utrisque observantia, in quibus et singularis reluce-  
bat humilitas. Testatum hoc faciunt sexcentae litterae familiares,  
fere coactae in sarcinas; quibus, etsi quovis scribendi genere ute-  
rentur, admixtus tamen semper inerat cum majestate lepor; rerum ge-  
25 renderum, locorumque difficultum, tum maxime cum Tridentinum habere-  
tur Concilium, mutua collatio, consilia mutua, ex agitations, adhor-  
tationes mutuae. Testantur et alia Epistolarum monumenta Politiani  
in Conventu D. Augustini à me, cum illius loci, annis proxime actis,  
regimen haberem, magna jucunditate perlectarum, et inter alias super-

stites scripturas honorifice asservatarum. Immo haec ipsa Commentaria probationi sufficerent, et confirmationi; quae ipsem non alii, quam suo Cervino dicavit: modoque, si nobiscum viveret, quod tam subito ademptus esset avunculus, dicaret nepoti.

Tu vero (si rem ipsam consideremus) quia contra haereticos, Lutheranos praecipue, totus fere sermo dirigitur atque invehitur, in quos caeterosque temporis nostri Tu Dux primarius strictum rotasti ensem, mucronem omnem exacuisti: à quo ingenti negotio licet saepe à florentissimae Societatis tuae praefecturis, aliquando ab aliarum Ecclesiae functionum oneribus, itineribus, obsidionibus intercipereris; nunquam tamen inde manum amovisti, tanto labore aequa infatigabilem ac sollicitam: qui sane magis ab haereticorum lingua et calamo, magis ab eorundem fremitu ac sanie, quam à bellorum armis atque clangoribus urgebaris. Vicisti enim doctissimis ac peregrinis Quaestionibus tuis, quibus Petri navis nullo peritura naufragio, piratarum incursus, scelestorum cautes, furentium obruptas procellas atque immanes, ad tutissimam usque stationem (divino Spiritu afflante) evasit: quando, etsi alii brevem soporem interdiu haurirent, Tu excubabas semper, et in lucubrationibus Tuis tunc quiescebas, cum humiliatis atque deletis fallacibus insidiosorum vaframentis, expunctisque captiosis insultantium objectionibus, catholicam veritatem concludebas. Velint, nolint perditissimi illi praedones, qui etiam in Christi tunicam inconsutilem disceptantes, irruere non verentur, Te semper reperient, cominus eminusque propellentem: licet semper aculeatis calamis, ut venenatis sagittis, aebriosi invadant Dominicam arcem; semper tamen in quatuor tomos Disputationum Tuarum, tanquam in Davidica propugnacula sive in aeratos Machabaeorum clypeos retundentes, tela dabunt: non innoxio Fidelium sanguine, sed turpi jacientium rubore foedata. Quamvis tertiam ipsi moveant linguam, ut commoveant multos, Tu tamen doctrinis Tuis, sacro ac mystico quaternario fundatis, stabiles omnes. Quare eis aut ad maternum sanctae Ecclesiae sinum, à qua impie ac tumultua-

/ rie defecerunt, citissime deflectendum erit, jucunde excipiendis, aut  
 tanquam cum pugnacissimo collectatōre et eversore, ad casum usque ta-  
 lipedandum; evel dicam potius, tanquam sub bipenni Thermodontiaca su-  
 bito corrundum ac sine spe pereundum. Tu modo humanissime Princeps  
 5 Hieronymum meum (meum inquam jure gentium, quem ab annorum edacitate  
 velut è mediis hostibus, officioso discrimine, eripui) benignissime  
 excepturum vel ideo non ambigo, quia ut successione quadam haeredi-  
 taria ad Te attinet, vel quia ingenua illa Humanitas Tua, qua Muri-  
 cem decoras, humiliora et proinde majora, pollicetur et facit. Ego  
 10 vero ubi minus ob meam tenuitatem, operam meam ad animum meum Tibi  
 significandum potero, aggrediar hoc unum precatiunculis meis, ut sal-  
 tem ad haereticos profligandos, diutissime ac felicissime et vivas,  
 et valeas. Neap. X.Kal. Septemb. MDCI.

Hieronymi Seripandi S. R. E. Card. In D. Pauli Epistolas ad Romanos  
 15 et Galatas Commentaria, Quibus et haereses doctissime refelluntur, et  
 Apostoli sensus pura elegantia aperitur. Industria fr. Felicis à Lau-  
 rino Theologi, Congregationis S. Joannis ad Carbonariam de Observan-  
 tia ex Ord.Erem.S. Aug. Vicarii Gener. Ad Illustriss. ac Reverendiss  
 D.D. Robertum S. R. E. Card. Bellarminum. Neapoli, apud Jo.Jaco-  
 20 bum Carlinum, Typogr. Curiae Archiep. MDCI.

Bibl. Un. Reg II 169 c